



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Nicolai Cavssini Trecensis, E Societate Iesv, De Eloqventia
Sacra Et Hvmana Libri XVI**

Caussin, Nicolas

Coloniae Agrippinae, 1634

Iudiciorum ratio apud Ægyptios.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70090](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70090)

Hi ab vna muri parte sculpti triginta erant absque manibus, & in medio iudicij princeps, cuius à collo suspensa veritas penderet, & oculis esset subglauis, librorum cumulo circumstante, hæc imagines præ se ferebant, iudices integros esse debere: Prætores solam respicere veritatem.

Iudiciorum ratio apud Ægyptios.

TOtam iudiciorum rationem idem Diosdorus, lib. 4. cap. 3. persequutus est.

Iudicia, inquit, non vulgari cum diligentia fiebant: existimabant enim sententiarum lato es, maxime esse ad communem vitam momenti, in vtramque partem: Nā punire nocentes, auxilium ferre oppressis, optimam ad prohibenda mala facinora viam præstant. Pecuniam vero delicti pecunia, aut gratia tolli, existimabant confusionem vitæ communis fore.

Quamobrem ex vrbibus clarioribus, vt Heliopoli, Memphi, Thebis, viros optimos eligebant, quos iudicij præficerent: qui iudicium confessus, neque Athenarum Areopagitis, neque Lacedæmoniorum Senatui cedere videbatur.

Postquam hi conuenerant, triginta numero inter se eligebant optimum virum, quem iudicij principem constituiebant: in locum cuius ciuitas alium Iudicem substituebat.

His omnibus victus, sed principi opulentior à rege dabatur. Is aurea catena signum varijs ornatum lapidibus, à collo suspensum, quod appellabant veritatem, gestabat.

Cæptis iudicij, ac signo veritatis à principe proposito, omnibusque legibus, quæ octo libris continebantur, in medio eorum constitutis, mos erat accusatorem scribere ea, in quibus alium accusabat, modumque patrate iniuriæ, aut damni facti, quantumque eam æstimaret.

Rursus accusatori, reoque inuicem respondendi locus erat. Ita bis auditis litigatoribus, cum iudices de controuersia quaesissent, princeps signo veritatis in partem verioreni versosententiam ferebat.

Hic mos iudiciorum apud Ægyptios erat, existimantes accusantium excusantiumque altercatione, & scriptis veritatem maxime elicere posse.

Sanè oratorum ars, hypocritarum fraudes, lachrymæ periclitantium, multos à recto, veroque iudicio auerterunt.

Videre quidem licet, aut errore, aut affectione aliqua, aut misericordia, aut oratione dicentis, sæpius reos à iudicibus fuisse absolutos.

Verùm, si aduersarietium scripta penitus intelligantur, existimant iudicari rectius, veluti nota veritate, posse, cum neque ingenio, neque industria, neque mendacio, neque audacia, neque arte iudicia peruerterentur, sed cuique esset commune ius: tum quia tempus dabatur accusatori, reoque disceptandum; tum quia Iudices, ex eorum responsis elicent veri iudicij modum.

Sacerdotes Iudices.

Et de Saphiro Veritatis.

Agyptiorum sacerdotes olim etiam iudices erant, & quidem inter eos princeps erat sententiæ maximus natu, & in omnes statuendi ius habebat.

Eum, omnium hominum esse iustissimum, & sincerissimum oportebat, qui circa collum, vt diximus, imaginem ex saphiro gemma confectam gestabat, quæ vocabatur veritas, Aelianus, lib. 14. vet. histor.

Ægyptijs quoque Regibus (quod & supra attigimus) ex præscripto legis antiquæ moris fuit, Iudices mox futuros iureiurando adigere, ne si Rex quidem iniusti quippiam iniunxisset, à virtutis medio declinatos, nec lineam omninò (quod dicitur) moturos.

Atheniensium fora varia.

Et eorum ratio.

G A P V T XVII.

ET quidem, in ea re Atheniensium natio non minus litigiosa, quam ingeniosa, Persarum quoque, & Ægyptiorum curas, cautionesque superauit; quod licet ex tot foris, quæ ipsi habuerunt, colligere: de quibus Pollux, Onomast. lib. 8.

Fora.